UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Hereditaria portio sorsve.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Visual Library

A Erathoſthenis rationes quadraginta tantum, qui paſſus eſſent quinquies millia. Aliqui ſtadia XXII. ſingulis ſchœnis attribuere. Atque ita menſurarum hujusmodi inconſtantiam diverſitas authorum fecit, ſive loca, ſive tempora rationem hanc omnem variarint, quemadmodum in ponderibus tanta ſcriptorum diſſenſione omnia conturbata.

HÆREDITARIA PORTIO, SORSVE. CAP. LIX.

INvitat vero me nominis ſimilitudo, ut quid Schœni vocabulo velint Divinæ literæ, aperiamus. Apud Hebræos enim menſuræ genus erat ſub funiculi nomine nuncupata, per quem portionem eam indicabant, quæ in agrorum diviſione huic & illi obveniſſet, tranſibatq; vocabulum ad hæreditates & patrimonia. Unde Moſeos cantico, Deuter. *Funiculus hæreditatis ſuæ Iſrael.* & Pſalm. 77. *Et forte diviſit eis terram in funiculo diſtributionis.* Et 47. Ezechielis: *Joſeph duplicem funiculum habet,* & paſſim multa hujusmodi. Ægyptiis porro mos, ait Prodicus, ut apud Max. Tyrium eſt, terram metiri funibus: quod & Hieronymus agnoſcit tertio Joëlis cap. ubi Septuaginta ait tranſtuliſſe, χείμαῤῥον τῶν σχοίνων quod alii, *torrentem ſpinarum* fecerant, funiculum ait σχοῖνον, aut juxta Ægyptios B menſuram certi itineris. Unde in Pſalmis: *Semitam meam & funiculum meum inveſtigaſti. In Nilo enim,* ſubjicit, *flumine ſive in rivis ejus ſolent naves funibus trahere, certa habentes ſpatia, quæ appellant Funiculos, ut labori defeſſorum recentia trahentium colla ſuccedant.*

Deut. c.32. — *Matraco & mongiſte, à venationis metaphora.* — *Pſal. 139.*

VITÆ PROGRESSUS. CAP. LX.

QUia vero verſiculum obiter ex triceſimo nono ſupra centeſimum Pſalmo citavimus, τὴν τρίβον μȣ καὶ τὴν σχοῖνόν μȣ σὺ ἐξιχνίασας *Semitam meam & funiculum meum inveſtigaſti*, tranſtulerunt quidam, *Examinaſti*, à veſtigio tamen eſt ἐξιχνιάζω: quamvis qui Hebraicam ſequuntur lectionem, grabatum ex junco factum, non funiculum, intelligere videantur, dum τὴν χοῖνον μȣ ἐξιχνίασας, *accubitum meum eventilaſti*, reddunt. Quinetiam Chaldææ Arabicæque lectionis traductio in hanc ipſam ſententiam habet. Sed &, quando ambulavero in via, aut quando accubuero ad ſtudendum, legi. Sed quoniã Græca lectio jam recepta eſt, quam, ut pleriſq; locis apud Hieronymum video, eam C eſſe arbitror quã Septuaginta tranſtulere, eam ſecuti, quid in ea hieroglyphici contineretur, expoſuimus. Quam vero ſchœni funiculive menſuram apud Ægyptios & Perſas eſſe Euthymius tradit, eamdem ait, noſtri propemodum ſtadii longitudinem æquare.

Septuaginta fortaſſe pro σχοῖνον, funiculum, κοῖτον, cubile verterunt.

STATHMUS. CAP. LXI.

STathmus, quod itineris diurni ſpatium eſt, produci fertur ſtadiis centum & quinquaginta, quæ milliaria eſſent undeviginti, quadrante minus. Nam & Juriſconſultorum tabulæ viginti milliaria diurnis itineribus conceſſerunt. Jocoſe vero Lucianus ὥσπερ νεφέλῳ ludit, οὐκ ὢν τρισχίλιοι μὲν ἦσαν ἀπὸ γῆς στάδιοι πρὸς τὴν σελήνην, ὁ πρῶτος ἡμῖν σταθμός: *Numquid tria millia ſtadiorum ſunt à terra ad Lunam uſque, qui primus nobis ſtathmus*, id eſt, *quod itineris ſpatium uno die peregimus?* ſed ut fabulas omittamus, ſatius fuerit, tot decurſis ſpatiis commodum quieſcere: quamvis adhuc digiti quoquoverſum accepti quaſdam habent dimenſiones, quarũ norma modoq; reliquum totius hu- D mani corporis dimetimur, menſura in hoc vel illo membro nunc parte pari, nunc geminata, in pluribus triplici: quippe pollex expeditus, ut ſupra innuimus, ejusdem menſuræ eſt cum infamis dimidio aure, cum naſo, cum fronte & ore, cum infima brachii latitudine, & partibus pleriſque aliis.

Cenſorinus tamen, de die natali, cap. 13 aſſignat ſpatiũ 126000. ſtadiorum à terra ad Lunam, ſecundum Pythagoram.

Verum cum hæc ad pingendi ſculpendique artem potius, quam ad ſuſcepti operis negotium pertineant, eam artificibus operam relinquentes, imaginum ſignificata, non artem pingendi, exponere proſequemur.